

CONIECTANEA

I Plutarchus in quaestionibus convivalibus VIII 6 (ed. Teubn. IV p. 331) postquam δείπνον et ἄριστον unde dicta essent declaravit, fratrem iocosa linguae petulantia vociferantem inducit nimio aptiora esse latina graecis vocabula ac deinceps latinorum quorundam origines explicantem non alia ratione quam ante Varonem Hypsicrates fecerat et Plutarchi aetate Graecos fecisse reor multos. τὸ μὲν γὰρ. δείπνον φασὶ κοῖνα διὰ τὴν κοινωσίαν καλεῖσθαι, hoc primum est exemplum in quo κοῖνα Bernardakis quoque edidit, male, nam ex adnotatione eius Plutarchum scripsisse id quod oportuit discimus κῆνα, si quidem *coena* non magis quam *foemina* extitit, neque verius LDuvau in cista Praenestina vetustissima *coenabia* quam *coepi alia* legit, posse autem utrumque horum legi narrat. argumenti loco quod Plutarchus addit, solos olim pransitasse Romanos, cenasse communiter cum amicis, hoc ita congruit cum eis quae Iuvenalis de suorum temporum patronis queritur *vacuisque toris tantum ipse iacebit vel quis fercula septem secreto cenavit avus?* (sat. I 136. 94) ut etymologian istam tum demum inventam opiner. sequitur prandii nomen quo Lamprias πρὸ ἐνδίου quasi ante meridiem aut πρὶν ἐνδεεῖς γενέσθαι quod epularentur appellatum ait. plurimas autem res nominibus in utraque lingua uti eisdem, strata vinum mel oleum gustare propinare: τίς οὐκ ἂν εἴποι ἐπὶ κῶμον Ἑλληνικῶς κωμισσάτον λέγεσθαι; secundum haec verba in glossario latino-graeco quae fertur glossam *comisatum* ἐπικωμῶν HStephanus ac nuper ego sic mutavimus ut ipsum illud ἐπὶ κῶμον restituere-mus, quamquam in eodem glossario alibi scriptum est *comisatum* ἐπικώμιον (corporis Goetziani II p. 105, 19 VI p. 236). adiungit Plutarchus καὶ τὸ κέρασαι μισκῆραι καθ' Ὅμηρον . . . οἶνον ἔμισγε, scilicet μισκῆραι ab scriba vitiatum est. iam mensa sequitur dicta quod ἐν μέσῳ ponitur, et panis quod ἀνήσι τὴν πείναν, et corona propter κράνουσιν similitudinem: de corona etiam Philoxenus in libro scripto de Romanorum dialecto disputarat,

multo ille melius ut sentio, certe eruditius ac diligentius. ultima exempla haec sunt τὸ δὲ καίρε δέρε καὶ δέντης (δεντῆς editur) τοὺς ὀδόντας καὶ λάβρα τὰ χεῖλη ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν τὴν βορὰν δι' αὐτῶν. puto hac vocabulorum compositione omnium quae Plutarchus tetigit id effeci ut aberrasse a vero intellegas qui τὸ δὲ δέρειν καίερε proposuerunt vel quocumque modo probarunt, illa enim ut generatim loquar convivalia sunt, ad esum potumque et cenae lautitias spectantia universa, rerumque ordine servato Plutarchus verbum verbo conseruit similiter atque Cloatius qui verborum a Graecis tractorum sive ordinatorum graecorum et ei qui hermeneumatōn libros composuerunt. itaque ante dentes et labra noli dubitare quin scriptum fuerit edendi verbum, τὸ δ' <ἔδειν> ἔδερε, insolitam sermoni cottidiano vocem librarius deformavit, Plutarchus vix potuit quin dictata vetera recineret *edo a graeco* ἔδω (Varro l. lat. VI 84). postremo haud insulse hi vellicantur etymologi qui nominibus tamquam saeptis quibusdam obrepant excindendo et destruendo particulatim. quorum in Latinis principatum equidem Nigidio dederim commento talia *frater est dictus quasi fere aller et avarus appellatur qui avidus aeris est*, similia autem inde ab Stilone per totam antiquitatem propagata sunt, ut catenam Porphyrio scribit dictam quod canem, Isidorus quod capiēdo teneat.

II Martyrius de B et V grammaticum tractatum (GLK. VII p. 165 ss.), si Byzantini aevi et adventiciae latinitatis modulo metimur, satis docte composuit, sed putida cum adfectione elegantiae latinae, etsi ne vitia quidem sordesque volgi evitavit, quale est *per b scribentur si disyllaborum non egredierint numerum* p. 188, 6 et 190, 4 ubi Cassiodorius *egressa fuerint aut egrediantur* correxit, et tam contorte non nulla expressit ut difficile intellegas. exemplum dabo perperam, ut opinor, mutatum a Keilio. *balbas* iam p. 173 scribi iussit τὰς θύρας, de priore quidem syllaba dubitans, posse enim a vestibulo et albo nomen esse compositum, *balvas* τὰς ψελλάς: hoc idem repetit p. 186, 2 *va* syllabam finalem per digammon scribendam esse ut *uva stiva oliva saliva, praeter balbas, si tamen prior syllaba per b mulam scribetur, discretionis gratia, ne non fores quam ineffabiles voces denuntient*. Keilius substituit *ne non tam fores quam*, eodem consilio quo Cassiodorius *ne non fores sed*, uterque Martyrii defraudans eloquentiam sive ex imitatione Plauti Livi Taciti derivatam (*non edepol piscis capelo, quam tui sermonis sum indigens*

Rud. 943) sive ex populari consuetudine (carm. epigr. 1604, 18 Paulinus Nol. epist. 16, 6 p. 121, 4 H.). hic scriptor quamquam variare orationem cupiit, *haud* particulam non adhibuit nisi semel p. 190, 8 de Coroebo disputans: *peregrinum nomen, haut latinum existit ubi aut legitur in Politiani codice, in excerptis Cassiodori peregrinum nomen minimeque latinum.* semel dixi, poteram bis dicere, nam accedit prorsus eiusdem generis exemplum ex p. 187, 15: *bal syllaba terminata . . . quam in barbaris nominibus aut latinis novimus invenisse ut Hannibal Hasdrubal Adherbal.* haec Cassiodorius cum veloci stilo transcriberet inmutata recepit, Keilius aut latinis damnavit inclusa uncinis, apparet recte fecisse Semlerum *in barbaris n. haud latinis.* aequae ac Martyrius moderatus est aut abstinuit potius eius negationis usu Porphyrio Horati interpres, quem in toto commentario semel non amplius *haud* posuisse ex Holderi didici perutili lexico, semel in hac dictione epist. I 4, 2 *Pedium oppidum haut longe ab urbe fuit.* nam quod in lexico numeratur exemplum secundum epist. I 17, 6 *quo dicto et ostendit Romae aut aliquos amicos,* id nullum esse duco, corrupta aut mutilata sententia non admittit *haut aliquos,* requirere aliquid videtur huiusmodi *Romae salutandos amicos.* sed ad Martyrium ut redeam, in eius editione Keilius Neapolitano codici et Cassiodori excerptioni fidens non nulla sprevit oblata a codice Politiani, quae tamen ipsum adiecisse auctorem veri simile est ita ut ab initio volumen copiis vocabulorum aliquanto refertius quam nunc est fuisse conicias. velut p. 175, 5 in *bar* syllaba principali *excipitur nomen proprium Varro:* ita N et Cass. at P *excipiuntur nomina propria ut Varro et Vargunteius.* hoc nomen minime tritum quemnam addidisse credimus nisi ipsum magistrum, quippe qui ex artis suae et litterarum disciplina utrumque nomen acceptum tulerit? et p. 174, 2 ad *villus* in P haec leguntur adscripta: *et quia ex eo traducuntur villatum et villosum, sed inter haec illa est differentia quod arte villatum efficitur, natura vero exornatum villosum, ideo et Vergilius eqs. rarissimum est villatum illud, relatum tamen in Byzantina sermonis cottidiani exemplaria cum interpretamento μαλλωτόν vel μονόμαλλον (gloss. VI p. 416 G.),* Martyrio bene convenit et commemoratio verbi et definitio. nolo plura huius generis adponere, sed cum olim in hoc museo (XXXV p. 69 ss.) glossemata latinograeca ex Martyrio congesserim, quae tum Keili auctoritate contentus praetermisi in P tantum servata vocabula, ea nunc ex margine illius editionis quasi ex abdito in apertum producere lubet. menda scribae volgaria tacitus de-

traxi. p. 172 ad v. 14 *balbae* θύραι, *nisi a vestibulo albo nomen hoc arbitremur compositum. mihi tamen hoc etiam graecum videtur existere, namque apud illos βαλβίδες οἱ καμπτήρες et βαλβις αἱ τῶν δρομέων ἀφεταιρία nominantur.* p. 174 ad v. 10 s. in *glossematibus bammum* [sic etiam glossae VI p. 128 G. *bamma N*] ὀξύγαρον *atque bambalo* ὁ ψελλιστής, *quae per b mutam scribuntur, quoniam graeca esse pleraque intellegimus. bammum enim ἀπὸ τοῦ ἐμβλήματος dictum esse arbitror, bambalo vero nominatus est ἀπὸ τοῦ βαμβαλύζειν quod illi ῥέπειν interpretantur, βαμβακεύτριαν τὴν ρακστίαν ἦν καὶ φαρμακεύτριαν nominant.* non ῥέπειν solent Graeci interpretari istud verbum sed τρέμειν, idque cum litterae vix dissideant hic quoque restituendum arbitror. βαμβακεύτριαι μαγγανεύτριαι, οἱ δὲ φαρμακίστριαι Hesychius, hic ρακστίαν utrum detruncatum est ex φαρμακίστριαν, an ῥαχίστριαν an quid fuit aliud? bammum vero mirum ni Sardianus grammaticus ἀπὸ τοῦ ἐμβάμματος deduxit.

III In glossario quod Philoxeni vocabamus II p. 162, 35 G. glossa haec traditur: *pro rata* τὸ αἰροῦν, κατὰ τὸ ἐπιβάλλον. memini doctum amicum dubitare de lectione graeci verbi prioris sive interpretatione, nescio igitur an prosit exemplum adferre quod modo inveni in Aegyptiaca papyro scripta de locatione mercaturae unguentariae anno imp. Marci et Veri secundo (Grenfell et Hunt et Hogarth de Arsinoiticis oppidis papyrisque XCIII p. 231): βούλομαι μισθώσασθαι παρὰ σοῦ τὴν μυροπωλικὴν καὶ ἀρωματικὴν ἐργασίαν θέλων? ἀπὸ τοῦ ἐπιβάλλοντός σοι ἡμῖσους μέρους τέταρτον μέρος Θεμίστου μερίδος χωρὶς ἀγορῶν σὺν πανηγύρεσιν, πρὸς μόνον τὸ ἐνεστὸς β (ἔτος), φόρου τοῦ παντὸς ἀργ. (δραχμῶν) τεσσαράκοντα πέντε, ὧν καὶ τὴν διαγραφὴν ποιήσομαι κατὰ μῆνα τὸ αἰροῦν ἐξ ἴσου, ἐὰν φαίνεται μισθῶσαι. id est: quod debebo tibi argentum perscribam singulis mensibus *pro rata*. repetitur eadem dictio cum alibi tum in isto libro XXXIV 14 p. 146.

multum et delectant et docent siquis vitae litterarumque antiquarum etiam stabula et sterquilina scrutari audet, epistulae papyraceae in eodem trium Britannorum libro congestae, quas ante imp. Domitiani excessum et post per aliquot annos L. Bellienus Gemellus ad filios dederat, veteranus missicius legionis, pagi Euhemeriensis agricola et olearius. hui quam misere vexat ille, immo perdit linguam et eloquium graecum, quoti cuiusque verbi recta est scriptura, non abnormis structura? latine dicitur

navis onerari vino, Plautus et Petronius onerari vinum dixere, prope igitur fuit ut navem dicerent onerari vinum: sic Gemellus loquitur, ἐὰν ἀναβαίη τὰ κτήνη, γέμισον αὐτὰ βάκανον καὶ ἔϋλον CXVIII 22 p. 274, CXVII 14 p. 272. sed malo ex rebus epistularum aliquid delibare sive utile sive humanitus iucundum. CXVII p. 272 'scito Aeluram ex ordine regalium succedere in praetura Eraso secundum litteras egregii viri praefecti, si tibi videbitur mittere ei oleae fiscinam et pisciculum, quoniam opus est homine nobis.' similia de munusculis quibus regionis suae magistratus demereri soleat Gemellus tradit in papyro CXVIII: 'eme nobis quae Isiis mandemus quibus consuevimus mittere, maxime praetoribus; biduo ante ferias eme pullos gallinaceos, et mittes eos.' in Erasi mentionem praetura decessuri anno 108 bis redit in papyro CXVII, semel cum mitti iubeat τοὺς θιώτας, suffimenta ut opinor purgamentave quae Romani appellabant ac ludis saecularibus distribuebant, evidenter enim nomen acceperunt a θεῖον et θειοῦν, 'hos mittes quia Eraso Harpocratia propediem facturus est', iterum versu 17 'scito accepisse . . . sium quod Erasi fuit trisellium n. trecentis', ubi novum hoc est vocabulum τὸ τρίσελλον, ut Wilamowitz iam monuit, latinae originis et propinquum bisellio. sellā autem videtur sic ut in Romanensibus linguis esse intellegenda equestris aut gestamen iumentum cliptellarum modo impositum, trisellium igitur tribus sellis aptum vehiculum, nam adiungit Gemellus 'quare scribo tibi ut . . . as illos equos, quos permuta, ut accipiat eos'. latina verba alia non repperi, graeca nova complura leguntur, velut in CXVIII quae ob evehendum in agros stercus cum saccis expetuntur βελενκῶθια et cribella tamquam εἰς ἔϋλάμην. haec quidem potest ἄμη esse ex ligno facta, non ut moris erat ferrea, alterum nomen quibus coagmentatum partibus esse declarem haereo, infundibula quaedam eo significari hariolor. sed pro incertis certum unum dabo. epistulae scriptae mense Decembri (Χοιὰκ ιβ) CXIX p. 275 Gemellus subscribit a versu 28 εἰς τὰ Κατορνάλια πέμισις ἀλέκτορας δέκα ἄγορᾶς. καὶ εἰς τὰ γενέσια Γεμέλλ[ης] πέμφις ὠψάρια κτλ. sic editores, sic ipsa manus scriptoris, tamen voluit hic, non potuit non scriptum ire ἀγοράσ(ας). quod verbum in his mandatis frequentat, ut CXV p. 270 ἀγόρασον ἡμῖν duas porcillas sacrificandas natali Sabini. in papyro CXII p. 267 v. 8 lego κολλᾶ, bubulcus non debet cornibus constringere numerum iumentorum; v. 11 sic explico: messem non perfecisti observans Zoilum, nequid ei incommodares, quod vehementer improbo; v. 19 propono

μη σπουδασέτωσαν ἀλωᾶν τὰ λομμίνα καὶ τὴν Cένθεως, ἕως γράψω· τὰς ἄλως αὐ πάσας θλάσον ἐπὶ τοῦ παρόντος, litteris dubiis participium subesse puto depravatum quale est (λε)λουμένα. deinde optionem editores dant utrum αὐ an οὐ legamus, aut illud eligendum est quamvis insolitum aut hoc explanandum in οὐ(ν).

lepidum epistolium papyrus CXXXIV p. 290 exhibet quam saeculi IV initiis editores adsignant et cum τὴν ὕαλον lapidem idoneum ad deterendos circumcidendosve nummos esse sibi persuaserint, quasi falsae monetae ac malorum facinorum consciam existimant. quam sententiam mihi parum probari fateor, qui ipsa elocutione adducor ut facetias has esse credam hominis pedestri sermone aemulati iocos quales poetae multos ediderunt. Catullus et Horatius Fabullum Vergiliumque non temere invitantes sed pollicentes pro bona cena suavissimum unguentum vel pro onyche nardi vini cadum. epistulam lubet quia perbrevis est cum mendis suis totam huc transferre: Εὐδαίμων Λογγεῖνῳ χαίρειν. παρακληθεῖς, κύριε, σκύλον σεαυτὸν πρὸς ἡμᾶς φέρων εἰ δόξαν σοὶ τὴν ὕαλον, καὶ δυνηθῶμεν τὸ λογάριν περικόψε ἐὰν [θέλη]ς, καὶ καλὸν Μαρρωτικὸν δυνήσει μοι σειρῶσαι ἐρχόμενος τῆς τιμῆς. ἔρρωσσο. vitrum quid velit, Martialis aperiet qui in apophoretis titulum carminis fecit *calices vitrei* et hoc exordium *aspicis ingenium Nili* ac saepius potorias istas delicias memoravit, I 37 *ventris onus . . . excipis auro*, *Basse, bibis vitro*, XI 11 *tolle puer calices tepidique toreumata Nili et mihi securo pocula trade manu trita patrum labris*. apud Iuvenalem *vitreo bibit ille Priapo*, imp. Aurelianus vitri vectigal ex Aegypto urbi Romae constituit, proclive est de vitro talia accumulare testimonia. crede mihi, contra quam Martialis in illo carmine clamat, Eudaemon bona vina melioribus culillis siccare cupiit; utut hoc est, postulavit certe vitrum a Longino pro suo Mareotico.

imp. Hadrianus cum in ultimis esset epistulam quasi indicem rerum gestarum Antonino misit, saltem misisse creditus est iam ante quam secundum a Chr. saeculum pervenit ad finem. eius principium, nihil nisi principium, sed id bis inscriptum papyrus habet XIX p. 115 ab editoribus luculenter explicata et expleta. paulo tamen amplius etiamnum posse puto profici insignisque monumenti non quidem integra verba, at ordinem continuumque velut iter orationis recuperari. itaque describo has reliquias praefatus verbis poliendis non tantum curae impendisse me quantum enuntiationis deducendo filo. αὐτοκράτ]ωρ Καῖσαρ Ἀδριανὸς Σεβαστὸς Ἀντωνίνω τῷ τιμοτάτῳ χαίρειν. ὅτι οὔτε ἀω[ρι οὔτ]ε

ἀλόγως οὔτε οἰκτρῶς οὔτε ἀπροσδοκῆτως οὔτε ἀ]νοήτως ἀπαλάσσομαι τοῦ βίου, προ[ειλόμην σοι λόγον διδ]όναι, εἰ καὶ παρατυχόντα μοι νοσηλεύ[οντα καὶ παρα]μυθούμενον καὶ προτρέποντα δι[αναπαύεσθαι σχεδὸν δόξω ἀ]δικεῖν, ὡς εὖρον καὶ ἀπὸ τοιού[των σοι περὶ ἑμαυτοῦ γρά]ψαι, οὐ μὰ Δί' ὡς φορτικὸν λόγ[ον τεχνάζων παρ' ἀλήθει]αν, [ἀλλ'] αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἀπλήν [τε καὶ ἀκριβ]εστάτην μνήμην ποιούμενος. *hactenus prooemium. iam incipit ἄωρου mortis refutatio, perit excepta e principali littera dimidius versiculus, tum continuatur καὶ ὁ μὲν φύσει πατὴρ γενόμε[ος ἀσθενῆς τεσσαρά]κοντα βιώσας ἔτη ιδιώτης μετ[ῆλλαξεν, ὥστε τῷ ἡμ]ιολίῳ πλέον με βιώναι τοῦ πατρό[ς, τῆς δὲ μητρ]ός με σχεδὸν τὴν αὐτὴν ἡλικίαν [ἔχειν γεγυνοῦ]σας ἑξηκοντού[τους· ἔτους δὲ ἔτυχον ἄρτι δεικ[νύσης τῆς ὑπάτων ἀναγραφῆς ἑξηκοστοῦ τρίτου? plurima horum et optima gratus itero invenisse Britannos.*

in constitutione sacra de auro coronario, papyro XX p. 119 versu 4 emendandum censeo: Τραϊανόν τε καὶ Μάρκον . . . ὦν καὶ πρὸς τᾶλλα τὴν προαίρεσιν ζηλοῦν ἐγὼ γνώμην ποιούμαι — proxime ad verum accessit Wilamowitz, sed nihil deest — tum versu 20: ὁπότε καὶ τὸν αὐτοκράτορα ὄραν παρεῖη αὐτοῖς κτλ.

atrocita et crudelia imaginatur posterior Nerone ac Domitiano poeta in papyro II p. 85 numinis religione compulsus ut narret haec quae videtur vidisse in somnis. versu 20: immensus patebat circa gurgitem campus oppletus mortuis, qui tamquam vivi homines securi percutiuntur et cruci figuntur. attendendum est tempus praesens πελεκιζομένων σταυρουμένων. pergit λυγρὰ σώματα δ . . . ἀθ' ὑπερθε γῆς τετραηλοκοπημένα προσφάτως ἕτεροι πάλιν ἐσκολοπισμένοι ἐκρέμαντο τρόπαια πικρᾶς τύχης, nonne legendum est δ' ἑπταθ' ὑπερθε? nam qui caeduntur, solo terrae insistunt sane, recens autem decollatis, quia membra eorum palpitantia voluntur et effunduntur super terram, non inepte corpora finguntur quasi per inane volare. item cruce qui adficiuntur, in terra morantur v. 22, tum suffixi pendent in alto.

IV In Capri orthographia (GLK. VII p. 92 ss.) permulta extare numerorum vestigia primus Lachmannus pronuntiavit. totus vero libellus hexametris esse adstrictus videtur ab aliquo quarti aut proximi saeculi litteratore qui in grammatica disciplina similem operam sumpserit atque in metrica et rhetorica Rufinus Antiochensis et ille qui ad Messium carmen de figuris scripsit. Lachmanni observatione commotus Keilius versiculos hanc paucos

aut plane restituit aut quomodo refici possent apte ostendit, in aliis quod codicum lectionem retinere quam incertis coniecturis uti se maluisse dixit, nemo profecto hoc non comprobabit. sed illud aegre feras non numquam eum immemorem metrici quod ipse agnoverat artificii repudiasse lectionem accommodatam numeris, anteposuisse a metro abhorrentem. velut p. 99, 20 *dum manat, sanguis est, effusus vero cruor erit*: ita Keilius secundum M, at BC *cruor fit*, quae licita est ac legitima huiusmodi poetis versus clausula

dum manat, sanguis, effusus vero cruor fit.

nam *vero* alteram habet correptam, ut carminis de figuris versum 53 verba finiunt *nos vero timemus*, in *sanguis* altera producitur, priscone more an quod ars recentior in caesura primaria breves producere permittebat ambigo. fortasse etiam quomodo rhetorici carminis conditor versus facit tales *ut dictust Aiax non infortissimu' Graium* (v. 165), sic hic Camenae ingratiis indulsit sibi *sanguist*, etsi certis exemplis eum *s* litteram abiecisse aut syllabas ita coagmentasse demonstrare nequeo. nam p. 102, 10 *nec non ille soloecismus est, ubi dicier audis* potest quidem corrigi *soloecismust*, sed oportere pro certo non adfirmaverim ideo quod pars codicum est omisit, illa autem quae coniectura demum parabimus exempla vim coarguendi cogendive nullam habebunt, ut in eadem pagina 99, 23 si hexametrum posuero *pone loci, post temporis est, sed postsecus nil est* vel 99, 21 siquis Montepessulana excerpta secutus hunc versus exitum finget *cum permittimus, sume*, minime ut arbitror illum quidem probabiliter, quoniam ceteri codices plura verba praebent nec violentius defluentia per dactylos *cum dabimus (res)*, *'accipe'*, *cum permittimus ipsi tollere, dicendum est 'sume'*. iam addo alios quosdam locos quibus pristinorum numerorum vestigia etiamnum in codicibus relicta vidi. p. 93, 18 *sordet acet anet floret calet squallet aret splendet viget, haec perfecta sunt, at inceptiva sordescit acescit anescit* eqs.: inspicere quem e Bernensibus libris Keilius subnotavit verborum ordinem, intelleges interpolata illa esse ac dilatata ex tali hexametro

sordet anet floret squallet splendet viget aret,

haec perfecta, set inceptiva arescit anescit.

p. 94, 18 *alter e duobus, unus e tribus vel pluribus*: at omnes contrario ordine codices *e pluribus vel tribus*, aptiore illo ad numeros quos hoc modo licet reconcinnare

alter cum duo sunt, e pluribus ut tribus unus.

p. 96, 18 *circiter ad numerum refertur, circum ad locum, circa*

eqs.: at in Montepessulano est *loca* eoque opus est ad versus integrandos

circiter ad numerum referes, circum ad loca, circa ad tempus, quod erit κύκλω. nos dicimus ergo circumiisse urbem, non circasse.

p. 102, 1 significata est gravior corruptela editumque *ille sal aspersus musarum est: non erit hoc sal haeve sales, sed hic sal ἐνικῶς erit quod edimus, hi sales pluraliter urbanitatis alicuius.* sed principale vitium ut numerorum indicio proditur ita codicum auctoritate et aequae vetustate excerptio (Hagen anecd. Helv. p. 111) tollitur, hi enim non *ille sal* sed *ille sale* praebent, de excerpto Bernensi Keilius videtur errasse. hexametri ergo procedunt prope nulla facta mutatione duo

ille sale aspersus mŕsarum est. non erit hoc sal haeve sales. hic sal ἐνικῶς erit id quod edemus, hi pluraliter urbane [vel dicta] facete.

p. 99, 14 *foedus sancitur religione, at sponsio poena est: quid, malum, hoc est sententiae? ea ut recte incederet, nonne expungi oportuit est?* at id ipsum viam monstrat ad illam formam proloquii quam metri ambitus postulat *foedus sanctum religione, at sponsio poena est.* sane equidem dubito num tam malus fuerit poeta ut praeter necessitatem secundum versus pedem vocabulo spondiaco contineret, quod ad persuadendum nec talia sufficiunt qualia per ipsius libellum sparsa videmus, p. 93, 1 *sevi messem, non serui dicendum* (quidni enim ipsum hoc ordine *sevi, non serui messem* posuisse crediderim?), neque carminis rhetorici similitudo circa eundem pedem non multo secus impoliti rudisque (v. 140 *multa hortantur me*). nempe enim non plus negoti erat meliorem hexametrum sic fundere

foedus relligione, at poena sponsio sancta est.

pleraque in isto libello praecepta sive decreta monosticha fuerunt, singulis versibus comprehensa. non nulla in antiquam formam restituta, immo huius instar adiungam eis quae iam Keilius a pedestri sermone segregavit, nam dubias atque incertas manere quasdam enuntiati particulas copulasve liquet, tamen ne sic quidem prorsus inutilia fore opinor siqui libelli indolem infimique aevi studia poetica pernoscere velint.

p. 92, 2 *'qua solet ire foras hora? solet esse foris?' dic.*

p. 92, 6 *'vado ad grammaticum, ad medicum' dic, 'disco apud*

p. 93, 4 *praecoqua dicendum, praecocia deridendum [istos].*

valde memorabile exemplum quod sic integrum intactumque co-

dices tradiderunt. nam volgus graece pronuntiasset scimus βερεκόκκια, hanc igitur pravam prosodiam scriptor suo versui intexit scilicet derisurus. simillimus versus est p. 103, 8 *bargena, non barginna, genus cui barbaricum sit.* sed etiam longius progressus leges hexametri omnino migrare non veritus est illicitos inferendo pedes, scilicet ea ipsa re ut notaret illicita ac falsa sermonis. huiusmodi hexametrum non interpolatum a librariis habes p. 103, 7

'respondidi' nihil est: 'respondi' dic 'Ciceroni'.

voluisse credas scriptorem metri regula cogere legentes ut corrigant peccatum et, velint nolint, improbam dictionem veterem ac legitima permutent. fere idem cadit in distichon p. 93, 13

*dic 'me victurum dico illum', non vinciturum,
sic quoque ficturum et picturum, non pingiturum*

in quo pravae participii formae damnantur mensura ionicorum monostichis accedant

p. 96, 13 τοῦ *tunc ἀντίθετον nunc est, τοῦ tum ἀντίθετον cum.*

p. 97, 9 *fidus amicus erit, famulus (custosque) fidelis.*

14 *(hunc) clipeum ἀσπίδα (sed) dices clupeum ornamentum.*

p. 98, 8 *accidere adversum, contingere dicito pulchrum.*

10 *calx dicendum ubi materia est, at cum pedis est calx.*

p. 99, 4 *'noctu cenavi', 'hac nocte nihil brevius' dic.*

8 *hoc oleum liquor est, olea arbor, fetus oliva.*

15 *mammam esse homini scito, at pecudi ubera (lactis).*

24 *barbam hominum, barbas pecudum dicemus (ut hirci).*

p. 100, 15 *arbor erit buxus, buxum autem materia ipsa.*

16 *hic malus navis, haec malus frugifera arbor*

rursus nullo additamento deformatus hexameter: *navis vel caesurae vi vel ut Constantini tempore fit quia h succedit producitur.*

p. 100, 18 *laserpicium: eum florem, at caulem laser aiunt.*

21 *scorpio bellica res, at scorpius est animalis.*

101, 8 *salmenta: (hoc quoque) ne timeas proferre, latinum est.*

103, 6 *hoc cerebrum est. 'cereber' dicunt cerebro sine qui sunt.*

13 *'ludos egregios fecit' dic, non 'dedit iste'.*

105, 12 *rumigat nihil est, sed rumino, 'ruminat (herbas)'*

ubi rursus prosodia in primo pede vacillat, sextum ex Vergilio supplevi cuius dictiones grammaticus aliquotiens adsumpsit.

satis hoc erit monostichorum praeceptorum, etsi plura etiam restant in ipso libello. neque nunc ad disticha pluribusque versibus quae constant disputationem convertam, sed breviter attingam rem minime alienam ab utrorumque conquisitione. multa enim leguntur hexametrorum initia, velut p. 105, 16 *luteo mer-*

cator dicetur, p. 94, 1 *eventura mihi praesagio*, p. 100, 3 *vultus mulatur, facies manet*, p. 100, 4 *maestum animo, tristem aspectu dices*, quae in monosticha redigi posse haud inepte cogites integras numeris velut si ultimo exemplo detracta a librario tamquam supervacanea verba duo statueris *dices hominem esse*. verum aliter ut iudicem atque etiam cautius explendos esse hexametros moneam quam ipse modo fecisse videor, unus me movet libelli locus ac nisi fallor unicus p. 99, 11 et 12. nam priori praecepto quae desunt ad hexametrum syllabae, eas primas tenet posterius, metri vinculo ligata haec coeunt

vortex fluminis est, vertex capitis. licet ἔξόν,
 <at> *liquet* <est> *δηλον προφανές.*

casu hoc evenisse paene ultra fidem est, licet ordinem quem poeta grammaticus servavit, qua re adductus sit ut cum vortice vertice de *liquet* et *licet* placita ita consociaret, nondum potuerim explorare.

V Carminis rhetorici de figuris quod ante identidem memoravi, in codice Parisino hoc est vel potius fuit quo tempore Sirmondus eumolvebat exordium:

Collibitum est nobis in lexi schemata quae sunt,
trino ad te, Messi, perscribere singula versu
et prosa et versu pariter placare virorum

cuius extrema quia nullum sensum habent viri docti variis modis temptarunt, vide optimam Halmi editionem rhet. lat. min. p. 63 vel AL. Riesi 485, Baehrens PLM. III p. 273 temerario ausu sic mutavit dicam an conturbavit: *et prosam metro pariter religare priorum*. solum *placare* corruptum est, in eo latet vocativus nominis quod ad Messium revocari, adiectivi quocumque ablativos *prosa et versu* coniungi scriptor voluerat. corrigendum igitur propono

et prosa et versu pariter praeclare virorum:

praeclare enim superlativi vice fungens poetico more genitivum ducit, non aliter Seneca amicum gravius sive magnificentius appellans *Lucili* inquit *virorum optime*. ceterum quod Messium iam comperimus utroque dicendi genere pariter praestitisse, eo nobis quis iste et cuius aetatis fuerit nihilo apertius fit, utrum quem Hauptius esse voluit Arusianus aequalis Ambrosii et Ausonii an melioribus annis natus aliquis fortasse imp. Decii cognatus. certe huius Messii sectator, si quidem ex laudibus sectam recte colligo, quasi inter antiquarios educatus, priscis poematis imbutus,

rudis artis imitandae cupidine incitatus esse cognoscitur. schematon exempla e graeco libro transcripsit plurima, pauca ex latinis litteris adscivit, ex Vergilio Lucretio Horatio, v. 167 *Oe-balon ense ferit eqs.* e recenti carmine eius compare quod Nasoni Neroni Traiano Hadriano in libris anthologicis attribuitur (392 R., Baehrens PLM. IV p. 15 et 111), v. 8 s. *nam qui eadem vult ac non vult . . . is demum est firmus amicus* omisit Halmius adnotare sumptum esse ab Sallustio Cat. 20, 4.

emendanda et explicanda in hoc carmine etiam nunc plura restant, unum paucis absolvam. versu 128 s. adsimulationis, τοῦ παρομοίου exemplum hoc fertur

*nam plebeius homo, ut ferme fit libera in urbe
regibi et puncto regnat suffragioloque.*

dubitarunt ubi interpungerent, pone *urbe* an ulterius, dubitarunt quid verbi acciperent, *regibus* an *regnat ibi* an *regulus*: certam mihi videor dare posse emendationem ideo quod praesto est sententia graeca quam ille vertit et figurae ac numerorum causa exornavit, sententia Aeschini in Ctesiphontea 233, quam Alexander in λέξεως σχήμασι pro periodi exemplo posuerat rhet. III p. 27, 19 Speng.: ἀνὴρ γὰρ ἰδιώτης ἐν πόλει δημοκρατουμένη νόμῳ καὶ ψήφῳ βασιλεύει. scribemus ergo *libera in urbe*, *regibus et p. r. s.* simul tam hic quam supra derivatum errorem in codicem ex *l* et *r* notabimus.

Bonnae.

F. Buecheler.